APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,
Phil. et Theol. D:r.
Præfectus Bibliothecæ Lund., Ordini Theologorum Adj.,

ET

CAROL. ADOLPH LINDVALL,
Smol.

Die 26 Maji 1841.

P. XLV.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXLI.

Aphorismi Respondentis.

I.

Religio est arctissimum, quo civitates continentur, vinculum; qua sublata nec imperantes nec subditi vitam prosperam et securam agere possunt.

II.

Statum illum civitatis, ubi tota penes populum est potestas, non diu consistere historia testatur.

Punctus IX.

Item quod nullus attemptet impetrare episcopatum in provincia Upsaliensi sine consensu totius capituli illius ecclesiæ cathedralis.

Punctus X.

Item qvamvis clerici in nullo teneantur famulis aut aliis transeuntibus quibuscunque, quoniam omnes tales, si quam eis violentiam fecerint, sententiam excommunicationis incurrunt ipso facto, dummodo animo intraverint injuriam faciendi, pœna nihilominus XL. marcarum juxta statuta priora puniendi.

Punctus XI.

Item volumus tamen, et sub pœna trium marcarum præcipimus, quatenus clericos et eorum familiares aut nuncios benigne recolligant, et necessaria eis vendant aut venalia inveniant, nisi gratis dare velint intuitu pietatis, quod et circa miserabiles personas decrevimus observandum.

Punctus XII.

Item statutum de clericis vagabundis, et hiis, qui in servitio sunt nobilium laicorum, confirmamus juxta statutum Archi-Episcopi ejusdem Jacobi, cum permissione deferendi ad nobiles ecclesiastica paramenta, juxta statutum Nicolai quondam Archi-Episcopi Upsaliensis.

Punctus XIII.

Item statutum de tonsura et habitu clericali extendi volumus ad scholares, prohibentes, ne quis in sacro ordine constitutus utatur caputio brevi sive caculla, nec birreto nisi nigro, exceptis canonicis et quibusdam graduatis. Similiter statutum de captivatione vel fugatione regis, per ecclesiam coronati, ad gubernatorem regni, concorditer electum et juratum, decernimus extendendum.

Punctus XIV.

Item sub statuto, quod tanquam hæreticos condemnat et excommunicatos denuntiat asseretes infernuum non esse, et simplicem fornicatio-

nem non esse peccatum mortale, dicentes excommunicationem nullam volumus comprehendi.

Punctus XV.

Item sicut ad: *O Salutaris hostia* et memoriam sanctæ crucis sic ad: *tantum ergo sacramentum* et ad: *discubuit* coram sacramento decantata indulgentias elargimur.

Punctus XVI.

Item de concubinis abjiciendis cautionem fidejussoriam, non juratoriam, decernimus esse præstandam.

Punctus XVII.

Item statutum de purgatoribus perjuris: *quinquennio pœniteant et solvant tres marcas,* decrevimus intelligendum esse divisim.

Puoctus XVIII.

Item in assecutione beneficiorum et dignitatum nobiles cagraduatos, ec etiam innatos, ceteris paribus, volumus aliis anteferri.

Punctus XXI.

Item festa conceptionis et purificationis virginis gloriosæ in loco suo cum officio semper stabunt.

Punctus XX.

Item festa sanctorum Erici, Sigfridi et Birgittæ per totam provinciam duplicia habeantur.

Punctus XXI.

Item festum Beati Gregorii per totam provinciam duplex in ecclesia celebretur: festum vero patronorum regni dominica proxima post octavas visitationis Mariæ pro toto duplici habeatur.

Punctus XXII.

Item ubi duo festa vel plura conterminantur, auctoritatem habeat

ordinarius cum nobilibus et aliis gravibus dispensandi, ut possint in priori nuptias celebrare, de non intrando lectum præstita cautione.

Punctus XXIII.

Item quilibet clericus beneficiatus moriens, aut beneficia in vita dimittens seu permutationom faciens, tenetur juxta statutum Johannis Haquini subsidium solvere pro pauperibus studentibus sustentandis.

Punctus XXIV.

Item statuimus infirmaria fieri apud quamlibet ecclesiam cathedralem.

Punctus XXV.

Item Oeconomus cujuslibet ecclesiæ cathedralis per episcopum et capitulum instituendus, præesse debet pleno jure colonis ipsius ecclesiæ, semel in anno rationem seu computum episcopo et capitulo redditurus.

Punctus XXVI.

Item volumus et mandamus omnes præbendatos per totam provinciam astrictos esse ad visisandum chorum et inofficiandum Ecclesiam, juxta consvetudinem et statuta choralium ecclesiæ Upsaliensis.

Punctus XXVII.

Item in qualibet ecclesia cathedrali constituatur reformator generalis scholarium in tonsura et habitu, obedientia et lectionibus oportunis: Similiter unus, qui conscribat annales et gesta, per chronica conscribenda.

Punctus XXVIII.

Item statuimus, quod clericus homicida non ipso facto, sed per sententiam, beneficio privetur, nec bona sua confiscentur, sed solvat pœnam juxta leges municipales: et si timeatur de fuga, episcopus et capitulum bona ipsius faciant arrestare.

Punctus XXIX.

Item de religiosis mendicantibus sic decrevimus ordinandum, quod

domos, curias aut habitationes qua hactenus habuerint, et adhuc habent in parochiis curatorum vendant aut alienent infra medium annum, talia amplius in eis nullatenus habituri, alioquin per ordinarium occupandas: et si coram ordinario aut ejus officiali in spiritualibus dictum fuertt, quod Domini mendicantes altari portatili usi fuerint in parochiis curatorum, vel quicquid aliud attentaverint in præjudicium eorundem, si per suum superiorem, ad hoc continuo requirendum, correpti non fuerint, arrestentur eorum altaria et alia paramenta.

Punctus XXX.

Item diffinimus, quod si quem religiosum contingat extra suum monasterium diutius commorari, et ei immineat voluntas aut necessitas celebrandi, nullo modo debeat inconfessus celebrare, si eum remordeat conscientia de peccato mortali, dummodo possit habere copiam sacerdotis religiosi, vel etiam secularis.

Punctus XXXI.

Item sicubi agrum colant, tenentur, ut alii, decimare, et eorum familiares ibidem existentes curato subsint, ut parochiani.

Punctus XXXII.

Item volumus, quod singulis conventibus mendicantium horæ sint finitæ circa horam nonam, nisi speciale festum habuerint et solenne.

Punctus XXXIII.

Item quod in diæta Calmarensi proxime celebranda producent bullam revocatoriam clementinæ *Dudum,* quoad quartam canonicam non solvendam.

Punctus XXXIV.

Item si per violentiam aut aliam caussam positum fuerit interdictum, servetur in monasteriis, sicut in aliis ecclesiis civitatis, diæcesis sive regni. Præsentibus ad præmissa et consentientibus ac observare permittentibus venerabilibus et religiosis patribus, Dominis Laurentio Magni, Prædicatorum, et Laurentio Torbini, ordinis Minorum, Vicariis, cum multis Lectoribus, Prioribus et Guardianis, ac aliis religiosis patribus ordinis utriusque.